

EPISCOPATUS HILDESHEIM.

tus Marchio Misniae, intulit quoque Vdoni bellum; captumque per tormenta eò adigit, ut traditurum se Hildesheimium promitteret. Quum vero id postea præstare Episcopus neque posset, neque vellet, cingit Marchio urbem obsidione, & ut ad ditionem cives adigat, obsidem unum palam obruncat. Vbi nec hoc modo urbe potiri posset, majores copias comparat, certus extrema quæque tentare. Forte dum rerum ita satagit, defessus ad molam suam Isenbutelum, non procul Brunswiga cum paucis divertit, & molitorem ad petendum ex vicino oppido potum emittit. Sed molitori in via occurrunt equites Cæsariani, qui re cognita, protinus se ad pugnam accingunt. Concurritur. Finis certaminis is fuit, ut confoderetur à Cæsarianis Ecbertus. Ita Hildesheimium obsidione, Episcopus è carcere liberatus est.

Anno 1364 Episcopus fuit Gerardus Baro à Berg, qui cum Magno Brunswicensium Duce graves inimicitias gessit. Ac juvabant Magnum socii potentes, Dietricus Archiepiscopus Magdeburgensis, Albertus Halberstadiensis, tum Principes Anhaltini, Gebhardus Comes Mansveldicus, aliique. Hi pro se quisque invadunt Dioccesin, diripiunt omnia, longe lateque incendunt, vastant. Gerardus vero Episcopus magno animo suos in aciem producit: pugnatum est acerrime. Gerardus non solum Brunswicensem Ducem, sed etiam Episcopum Halberstadiensem aliosque supra centum viros primarios cepit, mille quingentos cecidit. Vnus Diethricus Magdeburgicus sexies mille marcis suos redimere coactus est. Hoc illud est prælium, ex quo natum fuit proverbium: *Logica victa est à Rhetorica.* quo significabatur, Albertum Halberstadiensem Episcopum à Gerardo Hildesheimio superatum esse: ille enim disputator erat sublimis, iste orator vehemens.

Anno 1519 Ioannes Saxoniae Dux ex familia Lawenpurgensi, 44 Episcopus Hildesheimius bellum intulit Henrico Duci Brunsvici. Stetere ab Episcopo contra Brunswicensem Henricus Dux Luneburgensis, Comes Schonburgensis, & alii. Ab Henrico Brunswicensi Franciscus Episcopus Mindensis. Erat autem tunc multo quam nunc est potentior Hildesheimius, ut qui septem sub se Comitatus haberet, Wiezenbergam, Sladem, Poppenburgum, Peynam, Oldenburgum, Lewensteinum, & Hunfruccum. Episcopus collectis copiis suis invadit dioccesin Mindensem, eamque incendiis & rapinis vastat. Obierat autem tunc Cæsar Maximilianus. Ericus cum videret se Episcopi impetum sustinere solum non posse, auxilia à vicinis Principibus Georgio Duce Saxoniae, & Guilielmo Lantgravio Hassiae

petiit & accepit. Sed orta inter Saxones & Hessos dissensio res conturbavit. Saxones enim Leonem, quem in signis & scutis militaribus gestabant Hessi, per convitium dicebant esse canem. Nec tulit convitium animosa gens; quumque videret, fieri minimo negotio posse, ut ipsi etiam in castris committerentur inter se, maluit redire domum, quam sociorum sanguine scedere militares manus. Mox prælio commisso Episcopus Brunswicensem vincit, caesis ter mille & ultra ex parte Brunswicensium. Postquam vero ad fastigium supremi in Germania honoris pervenisset Carolus V, protinus imperiali edicto mandatum est utrisque, ut positis armis jure agerent, & controversiam Cæsari dirimendam darent. Et quia constabat Episcopum Hildesheimium violasse publicam pacem, proscriptus est cum omnibus sibi subditis; estque ea proscriptio paulo post iterata. Hildesheimenses proscriptionem illam eludebant sarcasmis, parum liberalibus convitiis ipsum quoque Imperatorem petentes. Vnum fuit venustius, ortum ex homonymæ vocis ambiguitate. Nam quum proscriptionem Germani vocent, *acht* / iteratam vero, *aberacht* / quæ voces etiam significant octo; dicebant vulgo, *Acht und aberacht seind sechzehnen.* Bis octona sunt sedecim. Sed male cessit ipsis hic nasus. Brunswicensis quippe auctoritate nixus Cæsarea, pedestribus & equestribus copiis dioccesin Episcopi invasit, arcesque sex protinus expugnavit. Nobiles vero, qui in aliis arcibus erant, territi severitate Ducis, opem consiliumque ab Episcopo petunt. At is rebus suis desperans, quum videret infensum sibi Cæsarem, audiretque Romam captam, nec præsidium sibi ullum esse à Pontifice, jam deserta diocesi sua profugerat ad Luneburgicum. Quocirca nobiles cum Principibus transfugunt, & tredecim arces sibi oppignoratas tradunt, ea lege, ut ipsi quidem in arcibus manerent, sed ut sese in fidem & clientelam dent Brunswicensi, & præterea appendant xxviii millia florenorum. Postea electus est in Episcopum à Canonicis Balthasar Merkelius Caroli V Orator, qui tamen vix semel propter molem aulicarum occupationum in dioccesin Hildesheimensem venit.

Anno 1542 Senatus ab Episcopo & Canonicis dissidens religionis mutationem instituit, ad formulam Augustanam, accersitis Iohanne Bugenhagio Pomerano, Antonio Corvino, & Henrico Winkelio.

Irrigant Hildesheimensem dioccesin flumina *Flumina.* Solinger, Inderst, Fues, Ruma, Glein, quæ omnia originem primam debent Visurgi.